

**Dissertatio inauguralis medica, de coffee potus usu noxio ... / praeside
Michaele Alberti ... pro gradu doctoris hor. loc. consuetis An. 1730 ...
respondens Joh. Nicolaus Grimmann.**

Contributors

Alberti, Michael, 1682-1757.
Grimmann, Johann Nikolaus, 1707-

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1730]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nh3f6r6z>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA;
DE
COFFEE POTUS USU NOXIO;

QVAM AUSPICE DEO PROPITIO
Auſtoritate Gratiſſæ Facult. Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA;

Præſide

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
Sac. Maj. Reg. Boruff. Aul. & Conſiſt. Magd. Conſilia-
rio, Med. & Philoſ. Nat. Prof. P. O. Acad. Nat. Cur. Collega,
Societ. Reg. Boruff. Scient. Sodali, &c.

Decano ſuo Speſtatiffimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo honoris culti
proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

Hor. Loc. conſuetis An. 1730. d. Maj.
Publicæ Eruditorum Ventilationi ſubjiciet

Respondens


JOH. NICOLAUS GRIMMANN,
Otterndorffio - Hadelenſis.



DIOSCORIDES



PARACELSU



Regnum Vegetabile

Regnum Minerale

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARY

COFFEE POTUS USU NOXIO

QUAM AUCTOR DEB. TRACTATIO
ADVERSUS GABRIEL FERN. HEDER.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA.

DR. D. MICHAEL ALBERTI.

PHARMACEUTICAE ET BOTANICAE
MAGISTRI IN UNIVERSITATE
FRIDERICIANA BEROLINENSIS.

PRO GRADU DOCTORIS
PHARMACEUTICAE ET BOTANICAE
MAGISTRI IN UNIVERSITATE
FRIDERICIANA BEROLINENSIS.

JOH. NICOLAE GRIMMANNI
ORDINARIUS HEDER.



PROOEMIUM.



Si juxta Galenum in *Isagog.*
& *arte medicinali cap. 2.* Medicina
Scientia est salubrium, insalubrium
& neutrorum, ita maxime inter-
est, quo rerum naturalium ju-
sta ratio ad corpus humanum
rite instituatur, perite connecta-
tur, congrue demonstretur & circumspecte appli-
cetur, ut inde illarum salubritas & insalubritas cer-
tius emineat : ad quam indagacionem neque sola
experientia, neque nuda ratio, sed utraque in justo
nexu, satisfacit; unde etiam illa Medicinæ definitio ve-
ritati consona existit, quam *Rod. a Castro in Medico Po-
litico Lib. 1. c. 2. p. 4.* profert : *quod sit ars cum ratione &
experientia faciendæ conservandæque sanitatis* : inde lau-
dabilis Medicorum solertia & occupatio inclaruit,
quod modo aëris, climatum, regionum, locorum, mo-
do alimentorum & potulentorum, modo medica-

mentorū salubritatem exploraverint: quam ob rem in hoc studio præcipue veteres Medici laudem merentur, siquidem Hippocr. utpote antesignanus in *Libr. de aerib. loc. & aqu.* eundem scopum habuit; in posteritate vero alii præc. circa cibi & potus examen innotuere, e quibus modo reminiscimur *Jobannis Philippi de Lignanime*, qui de unoquoque potu & cibo utili & nocivo egit, cui sociamus *Balthas. Pisanelli*, qui *esculentorum potulentorumque salubritatem* inquisivit, nec non *Francis. Schaccium*, qui de *Potu Salubri* differuit: neque tantum assidui rerum naturalium Scrutatores Potus ordinarii salubritatem inquisiverunt, sed & aliorum potulentorum, qui cum temporis tractu in usum venerant, salubrem adhibendi modum indagaverunt: hinc *Bontekoe* cum elogiis suis, de Potu herbæ Theæ, Fabarum Coffee, & Choccoladæ eminuit; in hoc tamen studio sæpe illud *Cassiodori* valet *Libr. div. Lection. cap. XI.* Sunt nonnulli, qui putant esse laudabile, si quid contra antiquos sapiant & aliquid novi inveniant: unde non modo secundum *Plinium Lib. 8. ep. 18.* *Aures hominum novitate lætantur*, sed & gula cum sapore novitatem affectat; hinc plane nidos avium, stercore conditos, ex india orientali evectos, appetit, aut novum potum amplectitur, nares nova suaveolentia olea expectant, & juxta *Plinium Lib. 8. c. 16. hist. nat.* *Africa semper aliquid novi afferre debet*: ob id etiam *Bartholinus Cent. 3. Ep. 50. p. 209.* querimoniam suam effundit, quando exclamat: *plura in antiquorum scriptis latent, quæ negliguntur, quia a paucis veteres leguntur, quod dolendum, quippe multi hoc seculo curiosi esse volunt,*

rerum

*rerum novorum cupidi, pauci eruditi; ob id novitatis studium multos a simplicitate & salubritate rerum invenienda seducit: quid quod illud etiam satis frequenter accidit, quod Anaxandrites ap. Athenæum Di-
pnoſophiſt. Lib. 5. c. 57. elocutus: ſpargere in vulgus decet, quicquid novitatem quandam habere cernitur; quare non ſemper obſervatur, an potus quidam ſit ſalubris, modo novitatem ſapiat: in mentem hoc loco incidit familiaris & hodiernis moribus uſitatus potus Decocti Coffee, qui jam ditiorum & celebratiorum domo emigravit, & populi ac vulgi gulam ac ambitioſam luxuriam demulcet; quare crepida & modulus ſutori, acus, forfex & ferramentum ſartori, rota carrucario, pellis pellioni, textrina textori, pili capillamentario, maſtra piſtori, clava Lanioni, fuligo caminario, aſcia fabro lignario, runcina arculario, incus & malleus fabro ferrario Decoctum Coffee comparare debent, imo quod plus eſt, hodiernum hic potus ad eo increbuit, ut præter honeſtos homines, etiam meretrices, nebulones & hujus furfuris alii homines eodem potu utantur: quid quod abuſus, qui cum hoc potu committitur, ita accrevit, ut vel famulæ, quæ pecuaria purgant & ſuiſ ac porcis ſerviunt, hoc potu delectentur: Iſidorus Peluſiota quidem dicit Lib. IV. ep. 76. allicendi vim habet, quod non valde familiare eſt: aſt hic potus non modo in nimiam familiaritatem abiit, ſed & vilioris ſortis homines ita occæcavit, ut cum illius uſu ad honoratiores dignitates ſe æquiparare geſtiant; quam ob rem præſtantio-
rem ſe eſſe iudicat, ſi opifex gladio & capillamento*

se ornat, ac Decoctum Coffee lambit : & licet *Ovidius Lib. III. de Pont. eleg. 4. v. 51.* asserat : *est quoque cunctarum novitas gratissima rerum*, tamen hic potus, qui posteritati utpote novus arrisit, aliis non gratus, sed valde odiosus existit; hinc avarus diris ac duris verbis eundem prosequitur, ac promiscue illum pessimis denigrat obtreccionibus, ne, quia paulo pretiosior est, illum comparare debeat : interea satis superque constat, in quam eximium abusum hic Potus protractus fuit, sub quo aliorum potulentorum simpliciorum & magis salubrium usus eviluit; extiterunt interim illa tempora, quibus hujus Potus usus absolute fuit incognitus, ubi ignoti nulla etiam fuit cupido, attamen illis etiam temporibus homines aliis salubribus, æque aut plus talibus, haud fuisse destituti mediis, quibus sanitati suæ consulere: neque etiam hodiernis ævis homines firmiori, constantiori & numerosiori pollent sanitate, qui hoc utuntur potu, ut propterea facile quisquam judicare posset, quod tali exotico Potu sine detrimento sanitatis homines carere queant: attamen quia semel hic usus increbuit, insuperque exportatio & consumptio tam immensæ quantitatis harum fabarum alios eximios usus, commerciis affert communibus, ea propter tamen cujuslibet prudentis & de sanitatis suæ vigore solliciti hominis cura esse debet, quo exoticarum talium substantiarum vires & salubritates in nostris regionibus inquirat & indicet, cum haud promiscue subjecta, quæ indiæ incolis salubria sunt, etiam Europæis æque salutifera existant: interea etiam

iam

iam abusus, aut perversus usus non plenarie omnem alicujus rei usum tollit; suffecerit interim illam veritatem agnovisse, quod, sicut olim homines sine hoc potu vitam & sanitatem non infirmiore transigere, ita nunc sine eodem vivere queant, præcipue dum illæ gloriosæ promissiones, quæ de hoc potu decantantur, neque absolute & omnimode, neque constanter spei satisfaciunt: ne itaque res domesticæ & indigenæ extraneis & peregrinis postponantur, neve res exoticæ, quibus non promiscue laus sua derogatur & quas non penitus contemnendas esse, *Comelinus in Catalogo Plantarum indigenarum Hollandiæ* & *Bidloo in dissert. de re herbaria* probarunt, aut nimium evehantur, aut plane refellantur, eapropter judicioso discrimine opus est, ut suum cuique tribuamus ac observemus: Quemadmodum vero quodlibet subjectum & justo usui & nocivo abufui expositum est, ita præsentī occasione, dum Specimen Inaugurale in publicum emittere officium nostrum requirit, hanc Practicam animadversionem selegimus, ut **POTUS COFFEE NOXIUM USUM** significemus, insuperque ex opposito salubrem ejusdem usum aliis explorandum, agnoscendum & confirmandum relinquamus: cui instituto ut benedictio divina faveat, affulgeatque, est quod in hoc accessu & initio tractationis præsentis, devotissimis precibus flagitamus.

§. I.

NE tituli nostri sensus *sinistra* interpretatione invertatur, neve rigorose ab illis invehatur, qui *nimum* usui Potus Coffee patrocinantur, necesse erit, ut aliqua monita circa illius *veram* acceptionem præmittamus: *extrema* itaque vitantes, non nimis & *superfluis* laudibus hujus Potus inhæremus, neque tamen absolute illum prohibemus, aut *re-jicimus*, sed perspicua assertione indicamus, quod ipse sub *certis* circumstantiis & usibus nunc *utilis* & salubris, nunc noxius & *insalubris* esse queat: hinc pro diversitate talium circumstantiarum uni eidemque subjecto utilis & inutilis esse potest: & quoniam non pauci *laudes* hujus Potus declamarunt, ita vicissim liberum erit recensere, quando, ubi, qua ratione & quo modo usurpandi illum, noxam parere queat: nam *diversus* usus, diversum & aliquando perversum & *sinistrum* prodit effectum: neque quidem de *illo* omnibus manifesto, *nocivo* ejusdem Potus usu hîc præcipue loquimur, quando aut ex mala illius *præparatione*, aut a fabis Coffee *corruptis*, *combustis*, cum aliis *pravis* materiis mixtis, tale damnum provenit: sed cum *Elia Camerario in Triga dissert.* quarum tertia de *usu & abusu Potus Thee & Coffee* tractat, confitemur, quod interdum huic etiam potui *nimum* tribuatur; quare homines, *indiscretim* & *absolute* elogia ejusdem Potus assumentes, sub spe *sublevandi* sanitatem, hanc sæpe magis offendunt, qui illius noxam tunc agnoscunt, quando ab illius usu vel *penitus*, vel quoad *frequentiam* abstinent: hinc illi, qui hujus Potus *virtutes* commendarunt, subjecto-
rum

rum *qualitates & relationes* significare debent, in quibus ipse easdem præstare queat: etenim valde imperfecta est argumentatio, quasi fabæ de Bon Arbore sive Coffee ob principia *oleosa, sulphurea vaporosa, salina volatilia & terrestria alcalina promiscue resolventem, attenuantem, roborantem, aperientem, temperantem &c.* efficaciam habeant; siquidem jam uberrimis exemplis comprobatum est, quod, si quidam *utilitates* hujus Potus concelebret, mox alius *obloquatur*, *mir will er nicht bekommen*, unde plane *contrarias* operationes de eodem recenseat: & sicut omne *nimum* in vitium vertitur, adeoque hujus Potus *larga* ingestio illis etiam *nociva* existit, quibus sub *mediocri* usu *salubris*, ad minimum *tolerabilis* fuisset, ita hoc loco non tantum relationem *quantitatis*, sed etiam & rectius *qualitatis* pro palmario scopo habemus, quoniam *principia* materialia & effectus hujus Potus haud *cuius* subjecto quadrant, ut propterea in *tota* sua relatione ad *diversa* individua iste *minus* salubris, aut *nocivus* declarari & variis argumentis probari queat: neque tamen illa noxa in sensu *valde restricto* accipienda est, siquidem *parca* neque *crebra* hujus potus ingestio *non facile* noxam parere solet, nisi vel *peculiaris* illius abhorrescentia, vel plane *insueta* ejus assumptio, vel per *idiosyncrasiam* orta *nauseabunda* ejusdem averfatio, vel *singularis* subjectorum *sensibilitas* omnimode, vel *primis* tantum ingestionibus hunc potum *haud* toleret: interea hoc themate de *repetito* & cæteroquin *mediocriter* usurpato hoc potu, utpote *nocivo*, primario respectu succinctam deductionem *medicam* exhibere placet: & quemadmodum *Willisus in Pharmacia ration. Part. II. cap. 5. p. 196. 197.* de Potu Coffee judicat, quod

aut medice, aut otiose à nastratibus bibatur, ita meritò præ-
 senti observatione & tractatione addimus, quod a quan-
 do perniciose usurpetur; idem author in *Lib. de Medica-*
mentorum operat. Sect. 7. c. 3. p. 203. de hoc Potu hisce ver-
 vis testimonium profert: *facile constat, potum hunc com-*
munissimo licet in usu, in quibusdam casibus valde utilem
& apprime medicum, in aliis forsan noxium, aut minus sa-
lutarem existere: præterea *Mangetus* in notis suis *Physio-*
logiam Potus Cafe a Jacobo Sponio editam, illustrantibus,
 asserit: *quamvis Bontekoe mirificas & ferme incredibiles*
virtutes de Potu Coffe promiserit, nollem tamen meliorum
promissionum vadem me offerre, dum multi effectus adhuc sub
spe & expectatione hærent, immo non paucis idem potus ma-
gis infensus est: quam ob rem prudentis & periti medici
 officium est, quo *juvantium & nocentium* rationem justam
 habeat & proterat: non possumus non quin *B. Bobnii* ver-
 ba huc quadrantia allegemus, quæ profert in *Tract. de*
Officio Medic. duplici Part. I. c. 9. p. 198. 199. *opportunum hic e-*
rit illorum ineptiori temeritati contradicere, qui secundum morem
Chinensium, Anglorum, Hispanorum, Belgarum & nescio quarum
gentium, Nicotiana & Potu Thee ac Coffee adeo strenue abutuntur,
ut nisi his, vel cunctis, vel eorum alterutro, quotidie fruantur,
singulari præcordiorum angustia, seu languore se corripere sibi persua-
deant: qualem errorem ac inordinatum rerum illarum appetitum,
quem Picæ certum genus mihi appellare liceat, ut colorent, insigni-
bus & tantum non universalibus illa virtutibus medicamentosis gau-
dere, hinc singularem ab iis in conservanda sanitate sibi promit-
tunt fructum, sed forsan sine ratione; singulis his concedo suas vi-
res, huic vel illi corporis Idiosyncrasie proficuas, sed non omnibus
æque, perinde ac nullum medicamentorum, aut alimentorum medi-
camentosorum omnibus salubre deprehenditur, ob diversas, quibus
gaudent singuli, crases: neque saluberrimum horum, quod forsan al-
vum laxet, urinam pellat, caput roboret, flatu discutiatur, quotidie
anus usus evadere solet, nec debet, nisi hinc plus damni, quam con-
modi expectare malis. Et si demum experientiam consulas, ejusmo-
di rerum heluones deprehendes, haud dicam minus, non magis aliis
sanos &c.

§. II.

Quando itaque *noxium* usum Potus Coffee indicare placet, tunc hujus propositi utilitas variis modis se probat, siquidem non modo elucescet, quod interdum hic Potus *actu sanis* insalubris ac *insensus* sit, sed & *ægris* aliquando plus damni & nocumenti, quam sperati aut promissi *emolumenti* afferat: etenim dum a Medico requiritur, ut res certis *individuis salubres*, aut insalubres significet, ut certo ac fundato suo judicio conservationi *sanitatis* & subjugationi *ægritationis* subveniat, ita de communi & ferme plebejo usu hujus Potus solidum judicium ferre debet, an ullo modo ac effectu alicui *fructuosus*, an *minus* existat: neque sufficit *vulgatis* deprædicare laudibus, quod hic Potus *sanitatem* valde sublevet, sed *ex usu* indicandum erit, quod ipse hominum *sanitatem*, *integritatem* & *longævitatem* plus promoverit, ac ipsa *ante* illius usum receptum constituta fuit: quare ipsi medici ab illo *præjudicio* liberi esse debent, ne hunc potum tantis extollant laudibus, quia ipsis usu suo aut *acceptus*, aut utilis est; quemadmodum ille mos inter homines non infrequens est, manifesto testimonio portentosæ thermarum & acidularum commendationis ab illis perfici solitæ, qui de hac Diana magnas usuras atque opes contraxerant, hinc adhuc illam tam immensis concelebrant encomiis: idem aliquando cum hoc Potu accidit, ut nonnulli ex *sua* judicio & sua *constitutione corporis*, aut relatione usus Decocti Coffee ad hanc, *alios* æstiment homines, ast sæpissime a *veritatis* tramite aberrent: Ex hisce itaque quantisper liquet, quod præsens tractatio *vulgarem* & *communem* usum pro necessitate & exigentia rerum *restringat*, ne

cæca opinio mentes hominum vinculet & corrumpat, quasi hic potus *omnibus* proficiuus esse debeat, quia ejus usus *novis quadantenus* applicationibus, inter *Germanos* præcipue selectis & introductis, adscribi potest, de quibus *novitatibus* homines communiter *plus* sperant, quam impetrant: Deinde hæc disquisitio *salubrem* illius Potus usum non modo *prudenter* & *perite* discernit, insuperque ansam ministrat, quomodo illius deprædicatæ *virtutes* accipiendæ & in sensu non *absoluto*, sed *relativo* agnoskendæ & conciliandæ, quid quod *justis* talibus *applicationibus* & salutaribus *operationibus* confirmandæ sint, ut non penitus hujus Potus usum *abrogare* & commemoratas laudes rejicere quisquam debeat: tanto magis præsentis labore manifeste *insalubris Abusus*, qui non raro cum hoc Potu committitur, tollitur & *periculosi* inde metuendi effectus intercipiuntur, siquidem aliquando homines eisdem ita *adsuescunt*, ut sine eodem vivere ferme nequeant, adeo ut si eodem *aliquandiu* careant, *male* inde habeant, si vero *consueto* more & modo eodem utuntur, iterum *ægrius* se habeant; qui abusus itaque pro tuenda sanitate magno studio vitandus est: Quod vero usum & commendationem hujus Potus in variis morbis attinet, dum eidem virtus *antiscorbutica*, *antivenerea*, contra *acrimoniam sanguinis*, contra morbos *biliosos*, ad *Spiritus* roborandos, ad *somnum* arcendum, ad *Spasmos* &c. &c. &c. adscribitur, tunc *aliquo modo* præfens tractatio significabit, in quibus *subjectis* & *casibus* tales effectus medicamentosi vel *plus*, vel *minus* expectandi sint: ita enim vel ex ipso Medicorum testimonio constat, quod in variis casibus ille potus prædictos effectus *minime* exserat; quare
quan

quando *Ammannus in Manuduct. ad Mater. Med. cap. 7. §. 2.* de eodem testatur, quod *peculiarem virtutem antihypnoticam obtineat*, id quod *Willisus Pharm. ration. Part. I. Sect. 7. cap. 3. p. 202. seq.* portentosa ætiologia probare fatagit, tunc *experientia creberrima docet*, quod multi homines *utriusque sexus a potu Coffee insomnes & turbulenti* obtineant noctes: aliqui pro *Spiritibus confortandis* eodem utuntur, multi tamen ob illius usum in *torporem*, languorem & *tremorem* membrorum incidunt: aliqui eodem potu utuntur contra *debilitatem ventriculi*, ad *facilitandam concoctionem*, ad *arcendam flatulentiam &c.* vid. *Riedlin. Curat. Med. Cent. X. p. 661.* *contraria* vero adsertione scribit *Bobnius l. c. p. 200. seq.* *Frequentius incidi in ejusmodi Coffee potatorum consortia, quæ illius decocto intercalabant vinum creticum simileve generosum, aquam Cinnamomi v. g. spirituosam, aut utrumque; quærens cur ita agerent, responsum ferebant, fieri hoc quo cruditates Coffee temperent ac solvant: Ergo cruditates magno conatu & appetentia colligebant, ut has per haustus generosiores detergerent: pergit porro idem author: aliquantulum penes hos (videl. Coffee potatores) commoratus, ex phiola aqua aurantium ardente repleta aduolat, quam pariter exhauriebant, & stratum super stratum, cum liquoribus antecedaneis artificiose satis formabant: subridenti & cur etiam hoc facerent, roganti uno ore cuncti respondebant, quo a Coffee diluto laxato seu debilitato stomacho per potum hunc spirituosum oportune succurrerent: obsignat denique hunc elenchum, dictione hac arguta: Sic in circulum redit, ac volvitur valetudo, & ut pessime vivamus, medice vivimus.* Alii hunc potum commendant ad levandum Caput, ad *Cephalalgiam*, vertiginem &c. *Willisus* vero contra *l. c. p. 204.* indicat: *observavi multos spirituum copia baud satis præditos, ac insuper Cephalalgia, vertigini, palpitationi cordis, artuum tremori, aut stupori obnoxios, a potu Coffee illico deterius habuisse, quoad istos affectus & statim in to-*

eo corpore languorem persensisse: præsens itaque nostra tractatio manuductionem suppeditat, ut discernere discamus in quibus subjectis *salubres* operationes ab hoc potu expectari & promitti haud queant.

§. III.

In explicatione *nocivi* & *insalubris* usus potus *Coffee* primo *generalia* monita subministrare placet, deinde juxta *præcipuum* thematis nostri respectum, *speciales* quasdam animadversiones proponere & commendare lubet: *Generatim* itaque de hujus potus *efficacia* sciendum, quod *oleoso-sulphureo vaporoso* suo principio *copioso* & *volatili*, in gustum & olfactum cadente, humores *valde* commoveat, & quidem sanguinem *fluidum* & *floridum* admodum *expandat* & *turgescat*; quare subjecta de *Sanguineo* & *Cholerico* temperamento *eminenter* participantia, post *mediocrem* hujus Potus ingestionem *Pulsus magnum, plenum, potentem & activum*, nec non magnum obtinent *calorem*: in Subjectis *carnosi* & *porosi* habitus corporis mox *alacrem* & *promptum* infert *sudorem*; in aliis quibus *vasa* sanguifera *majora* sunt, hæc magis *inflat* & *tumefacit* & in corporibus *strictioribus* ac *ficcioribus* in iisdem vasis *oppletivum* sensum causatur, de quo adserunt, quod sanguis fortius & intensius *ebulliat*, das Blut walle in Adern: hinc post hujus Potus ingestionem sanguis ex *incisa vena* paulo facilius & *vegetius* profilit: in subjectis, quibus sanguis *spissior* est, molestam & cum *angustatione* conjunctam *inturgescentiam* sanguinis causatur: deinde principiis suis *salinis*, in similem *volatilitatem* pronis, hunc *turgescentem* effectum sublevat & *auget*, quæ *utraque* principia, *sulphurea* & *salina* videlicet, tam in bu-

mores

mores, quam *fensibiles nerveas partes valde activa* existunt, quarum utrarumque partium *motum incitant & augent*, quamvis sub *certis* qualitatibus & in distinctis *subjectis* hoc motuum augmento alios *connexos* motus & effectus *contraria* causandi ratione *impediant*, turbent & opprimant; quare humorum *stagnationes*, organorum *infarctus*, *spissioris* partis massæ sanguineæ alicubi adhærescentiam, coalescentiam & congrumescentiam, adeoque *concrementa præternaturalia deformia*, aut plane *perniciosa* causentur; vel interdum nimia partium inflatione & *distensione*, atoniam, torporem & *laxitatem* iisdem concilient, ut ex præcedenti motuum incremento & augmento nunc in certis locis motus *defectus & decrementum* oriatur: quando itaque hæc principia *congruam* corporis constitutionem attingunt, in qua fluidæ partes non *nimis tenues*, neve *nimis crassæ*, sed temperatæ, *solidæ* vero sive *fibrosæ*, non *nimis rigidæ & tensæ*, neve tamen *nimis flexiles & mobiles* sunt, sed *mediocri* qualitate gaudent, tunc in iisdem effectus *præstantior* magisque *salubris* excitatur; nec non ubi in fibris *motricibus* aliqualis *ordinaria laxitas* adest, tunc in hoc statu *conveniens* hujus Potus usus, hæc fibras quadantenus *allicit* & ad paulo *vegetiorem* motum excitat; qui effectus licet prædicto *contrarius* sit, tamen sub *alijis* plane circumstantiis & requisitis contingit: Porro fabæ Coffee non paucam *mucilaginosam & copiosam terrestrem* continent substantiam, quæ *incrassantem, deobstruentem & exsiccantem* efficaciam exserit; quare *subtiles* partes, quas *proxime* afficit, *involvit* & in *consistentiam* quandam transfert, ob id *bilem* aliquando velut *absorbet* & *incrassat*, quandoque etiam *sanguinis* massam inspissat & effectum suo, quo

quo omnia *rosta* & *ustulata* pollent *subjecta adstrictorio*,
 excretionem *alvinam*, imo non raro *urinæ*, coerces & *re-*
tinet, subinde tamen cum reliquis suis principiis sangui-
 nem *intensius* commovet, indeque facile *contrarios*, mi-
 nusve salutare producit effectus: etenim decoctum *Cof-*
fee suo *colore*, *consistentia* & post factam *evaporationem*,
 notabilem copiam *terrestri* hujus substantiæ prodit, quæ
 dum *primis regionibus* & *Massæ sanguineæ* insinuatur &
intermiscetur, ante nominatos effectus iisdem facilius &
 certius conciliat: & tale *extractum*, ex Decocto *Coffee*
 paratum *adstrictoriam* suam vim facile in *alia* applicatione
 probat, quando *relaxatas* gingivas *obfirmat*, aut alvum ob-
 struit: quo *major* itaque copia singulorum horum principio-
 rum ingeritur, eo *major* gradus prædictorum *effectuum* in-
 de expectari & obtineri potest; qui vero effectus in *diversis*
 subjectis non modo valde discrepant & sibi velut renitun-
 tur, sed & subinde *perversis* minusque salubribus *consecutio-*
nibus ansam præbent: unde facile liquet, quod non *quolibet*
modus usurpandi hunc potum, neque quælibet individuo-
 rum *constitutio corporis* congruam relationem habeat: Si
 denique consideramus *reliquas* in hoc potu annotandas
 qualitates, veluti *vehiculum* vulgare *aqueum*, tunc hoc
 quidem satis *humectat diluitque*, at vero etiam *id* efficit,
 ut humores jam sufficienter *tenuis* & fluidos præter præ-
 dicta *sulphureo-salina* principia magis *rarefaciat* & turge-
 faciat, subinde partibus *sensibilibus* eadem citius & *inti-*
mius insinuet, eoque ipso in hisce *alterationes* minus com-
 petentes excitet; quod vero *calorem* conjunctum attinet,
 tunc & hic pro *augmento* motus partium *fluidarum* &
 majori ac *largiori* harum resolutione concilianda, militat,
 quam

quam ob rem perinde *Subiecta* & *circumstantiæ* prudenter conciliari & applicari debent, an sine detrimento & præjudicio tales effectus physicos commode perferre queant.

§. IV.

Quod vero nunc attinet finistros & *nocivos* hujus Potus usus & effectus *in genere* annotandos, tunc *inimicus* ipse est, quando in *nimia* quantitate ingeritur, ubi pro diversitate *personarum, ætatis, sexus, temperamenti, virium, diætæ, vitæ generis* &c. varias alterationes causatur; præcipue *ventriculum* debilitat, *concoctionem* & *appetitum* lædit, *alvi liberum & justum successum* turbat, *glandulas teneriores* in abdomine, utpote *intestinorum*, obstruit, *Hepati* & *Lieni* infarctum minatur, *se- & excretorias* functiones sufflammat, *vires* enervat, *statum cachecticum* & *œdematosum* causatur, molestas *flatulentias* provocat, *cardialgiam, palpitationem cordis, capitis gravativam afflictionem, tremores membrorum, febrem lentam, affectus bydropicos, tympaniticos* inducit, *hydropem pectoris* post se trahit (qualem casum ex *Historia Academiæ Regiæ Scientiarum Ann. 1711. Act. Erud. Lips. An. 1715. Mens. August. p. 348. de Claudio Bourdelino* Socio ejusd. Academiæ referunt & commemorant: *immodicus Potus Caffè ipsi Hydropem Pectoris adscivit*; qualis historia etiam parallela *D. D. Præsidi* constat) copiosas *cruditates* in ventriculo generat, *vomitibus* excedentes causatur, gravissimas *cardialgias* provocat, imo ut *Willisius l.c. p. 203.* recenset, *Coffee potatores nimii, macilenti sæpe numero, item paralyti ac veneris impotentia obnoxii evadunt*: de qua *posteriori* efficacia *Simon Pauli in tr. de abusu Tabaci & Herbae Thee p. 715.* ex *Mandelslo* testatur,

tur, quod potus Coffee apud *Persas infrigidantem, venere-
rem extinguentem & sterilitatem* procurantem qualitatem
habeat; *conf. de nocivo nimii usus Coffee effectu Relationes
Uratilav. Tentam. XXXVII. p. 251. 252.* Præterea omnibus
subjectis Decoctum Coffee, *valde saturatum*, valde etiam
inensum est, quoniam *ventriculum* onerat & enervat, fun-
ctionem *digestionis* impedit, ad generationem *crassi chyli*
contribuit, ipsam etiam *chyli mixtionem* pessundat & læ-
dit, *secretiones & excretiones* sufflaminat, *alvum* impr. ob-
struit, sanguinem valde *spissum* reddit, *orgasmos* frequen-
tes sanguinis provocat, *præcordiales angustias, polypos &
palpitationes cordis, vertigines, sensuum in- & externorum
torpores, tremores artuum*, varias sanguinis *stagnationes*
in interna & externa corporis regione, *spasmos*, irregula-
rem sanguinis circuitum, *Lymphæ* depravationem, affe-
ctionem *Cachecticam, hypochondriacam*, modo *oppressio-
nem virium & connexam caloris* naturalis offensionem,
modo insolitas & valde angentes sanguinis *ebullitiones*
in fæminis *Leucophlegmatiam*, *passiones hystericas &c.*
causatur: proinde sub hac rerum facie, subjecta *colorem*
naturalem amittunt & *morbosum pallidum, cachecticum, li-
vidum, chloroticum*, ex *flavo pallidum* induunt, membra
subinde *torpida & velut pondere impedita & aggravata*
gestant, quin tandem ex *polypo cordis*, aut *aliarum par-
tium & regionum*, aut ob *nobilioris visceris obstructionem*,
modo *tabe & hectica*, modo *aridura & contractura*, mo-
do *apoplectico, paralytico & suffocativo*, modo *hydropico*
& *simili* alio affectu vita privantur: Quando porro fabæ
Coffee *nimia ustulatione* tractantur, nimiumque tostæ u-
surpantur, omnibus tunc subjectis usu suo *insalubres* sunt,
quoniam partes *fluidas* valde *incrassant*, *solidas* vero ad
omi-

ominosam adstrictionem disponunt, *salutares* humorum *progressiones* & *depuraciones* subjugant, organa *colatoria*, præcipue *teneras membranosas* partes *tenacius obstruunt*, insuperque *gravissimas læsiones* & *alteraciones* œconomiae vitali afferunt: quodsi vero hæ fabæ *parum* tostæ fuerint, tunc *multam mucilaginem* retinent, (quæ ex parte sub *sufficienti* crematione in forma *spissi fumi* secedit) hinc potus inde paratus multis *flatibus* generandis inservit, qui pro diversitate individuorum, aliquando colica tormina, ructus, vomitus, cardialgiam, capitis dolores, somnum turbulentum, ventriculi & concoctionis offensiones, aliaque connexa pathematum schemata, in sceminis vero Mensium turbas & hystericas passiones excitant, aut exacerbant: Si hoc decoctum *nimis tenue* & *valde dilutum* fuerit, tunc in *multis* subjectis varias molestias in *ventriculo* & *intestinis* causatur, maxime vero *flatulentas* extensiones, *angustias* præcordiales, excretionis *alvinæ* turbas & *appetitus* ac *concoctionis* perversiones; quare pro evitandis talibus incommodis non pauci *carminativam* aquam aut Tincturam superbibunt, quo *nocivum* hujus decocti effectum præcaveant; qui tamen modus subveniendi sanitati *haud* proficiuus est; siquidem nihilo secius & præcedens *copiosior diluti* Potus Coffee ingestio & *crebrior*, aut plane liberalior haustus *spirituosorum* effectus suos in corpus substratum edunt: quantum vero commodum sperari queat, a frequenti partium *relaxatione* & toties renovata *roboratione*, facile quisquam ratione assequi poterit; nam frequens talis *mutatio* cum *oppositis* qualitatibus œconomiae vitali ut plurimum valde *inensa* & *nociva* existit: Subinde potus Coffee mox *post*

pastum aut *larga* copia, aut valde *saturatus*, aut nimis *aquosus* ingestus, *concoctioni* multas affert *turbas* & ad *crudioris* chyli generationem contribuit; unde varia *morbosa* pathemata, in primis regionibus *præcipuam* sedem tenentia, ex parte originem trahunt; quemadmodum reliquæ *massæ* Sanguineæ magna *intemperies* inde pariter imminet: neque etiam hujus Potus ingestio *vesperi* commissa & in *similibus* qualitatibus instituta, admodum *utilis*, sed multis *molesta*, imo plane *nociva* est, siquidem non pauca subjecta *turbulentas noctes* huic *serotino* potui adscribere solent, qui nunc *ventriculum* & connexas partes *sensibiliter* aggravat, variasque alias molestias creat; Quæ singula *generalia* detrimenta ab hoc Potu provenientia non modo multis *exemplis* & *rationibus* probari, sed & in *historica* hac relatione reliquam *specialem* demonstrationem confirmare possunt.

§. V.

In hac *speciali* explicatione haud nos detinent, impediunt & occæcant *communes* laudes, quæ de hoc Potu circumferuntur, siquidem vera etiam adfertio est, quam *Pomet* in *Histoire des Drogues Part. I. Lib. 7. c. 13.* profert, quod *Decocto Coffee nunc plures, nunc minores tribuantur virtutes, prout illi, qui eodem utuntur, illud æstimant*: quam ob rem subjecta semper juxta causas *naturales* & statum *præternaturalem* dijudicari debent, si iudicium justum ferre placet, an iisdem Potus hic *salubris* aut *insalubris* existat: *Primo* itaque loco dispiciemus, an Potus *Coffee infantibus utilis* sit? hac occasione merito reprehendimus pravam illam consuetudinem, qua mulierculæ & medici, qui harum gratiam quærunt, infantibus, quando vix, ut ajunt ovo, aut *utero* egres-

egressi, hunc Potum propinant, qui velut *semi medicamentosus*, mox effectum haud *exacte* naturalem, sed magis *artificialem* præstat; unde tenelluli tales facile *vomitibus, inflationes ventriculi, cardialgiam, oppletionem & oppressionem pectoris, æstum, alvi occlusionem*, præmaturam *inquietudinem, tormina &c.* experiuntur, id quod præcipue contingit, si talis potus *valde saturatus*, aut *magna copia*, aut *valde calidus*, aut *valde tepidus*, aut plane *frigidus*, aut *debilibus* nimiumque *teneris* infantibus, aut *crebra* repetitione obtruditur & propinatur: & licet hic potus temperatis qualitatibus instructus, *Meconium* recens natorum abstergere & eluere dicatur, tamen æque facile *alvum adstringere & meconium* retinere potest & solet: neque porro *lactantibus* infantibus adeo *conveniens* est hic potus, qui facile *liberali* aut *repetita* ingestione *cruditates* in ventriculo, una cum *lacte congrumescente*, accumulare adjuvat, subinde ipsum ventriculum onerat & ad *vomendum* allicit; interea vero hac *anoterica* excretionem, *alvi facilem* solutionem impedit: porro hic potus in hac ætate *lubricæ, teneræ & fluidæ lymphæ* suo *sulphureo-salino* principio haud difficulter aliquam *intemperiem* conciliat, eandem *incrassat*, aut *impuram* reddit, ut illius variæ *stagnationes*, aut *cutaneæ diversæ & singulares defcedationes* ac *pustulares efflorescentiæ*, a communibus *discrepantes* oriantur, velut præmaturæ *purpuratæ*, aut *purpura urticata*; ad quos utrosque affectus *citius & certius* generandos & assumendos infantes hoc Potu, *liberalius* usurpato, *efficacissime* disponuntur; & quia Decoctum *Coffee*, tanto magis *saturatum* partim suis principiis *sulphureo-salinis*, partim *vehiculo* suo liquido *aquoso*, partim

calore in subjectis , quorum humores *subtiles* ac *fluidi*,
solidæ etiam partes *laxiores*, ampliores & molliores sunt,
largum sudorem promovet, ita in infantibus, *hisce* quali-
tibus *ut plurimum* præditis, non modo humores *valde*
commovet, exæstuat & *turgescit*, sed & *prodigas su-*
dationes cum pravis consuetudinibus nimie humorosæ opple-
tionis *capitis* ac *pectoris*, nimie colliquationis & *resolu-*
tionis, intimioris intermixtionis *excrementitiarum* subtili-
um substantiarum in *lympham* & totam Sanguinis *massam*,
inquinatio horum humorum & *coherentium* multorum
noxiorum effectuum excitat: dum vero de hoc potu præ-
dicatur, quod *bilis acrimoniam* corrigat, temperet & e-
nervet, ita pro *hoc effectu* obtinendo alia *indigena* & ad-
huc *præstantiora* constant subjecta, ut hoc *exotico* adeo ne-
cessarie *haud* indigeamus; quare hoc Potu in *Infantium* tra-
ctatione *medica* & *dietetica* opus *haud* habemus, sed po-
tius ex prædictis *certi* esse possumus, quod ipse *Infanti-*
bus adeo *congruus* & *salubris* *haud* existat, & quod tutius
ac consultius sit, teneras tales ætates *insolito* & peregrino
tali potui non adsuescere, quoniam in genere *temperatio-*
ra & *simpliciora* infantibus *magis* fructuosa existunt: Ne-
que pariter hic Potus *Senili* ætati multum aut sæpe con-
fert, quoniam in illa *viscera* facile *debilitantur*, *cruditates*
citius colliguntur & augentur, excretiones *alvinæ* fre-
quenter retinentur, *secretiones* vero tardius & *impeditius*
continuantur, *humores* inde facile contaminantur, *vires*
reliquæ vacillant, ita in hac ætate Potus *Coffee* *frequentior*,
liberalior & *saturatior* singulos hosce *pravos* effectus invi-
tare, accelerare, augmentare & confirmare potest ac solet:
quare Senes cum *peculiari moderamine* ac *temperatura*

hoc

hoc potu uti debent, ni noxium inde effectum experiri malint: hæc denique ætas *dilutiorem* talem potum, cum *lactis* pauxillo mixtum, per intervalla usurpatum sine aliqua noxa perferre potest, præcipue si cum aliquo *congruo aromate* paratus fuerit, ubi additamentum *Sacchari*, quod in *Senibus alvum laxam* conservat, negligi haud debet.

§. VI.

Ratione *Sexus* manifestum est, quantam *delectationem* *feminae* de hujus Potus usu capiant, inque illo frequentem excessum & *abusum* committant, quæ ipsæ vero quia ut plurimum *tenerioris* corporis, *sensibilioris* indolis & in *debilitatem* pronæ sunt, facile ea propter ab hoc potu *alterantur*; siquidem *ventriculi* & *intestinorum* imbecillitatem inde sibi conciliant, angentes *flatulentias*, in quas alioquin proclives sunt, ut & excretionis *alvinæ turbas* experiuntur; hinc in *cardialgias*, *capitis dolores*, *palpitationes cordis*, *anxios sanguinis orgasmos* incidunt; quæcunque *feminae* proinde *sedentariæ* vitæ indulgent, illæ a *liberaliori* hoc Potu omnium *salutarium* excretionum *impedimenta*, sanguinem *spissum*, caput *temulentum*, cordis *angores*, per intervalla obruentes, *Mensium anomalum* statum, *artuum languorem*, morbosam extremitatum *constrictionem*, sanguinisque ad *interiora* repressionem & consequentem *angustiam præcordialem*, cordis *tremulum* & *palpitabundum* motum, *animi deliquia*, *phlogoses* molestas experiuntur: & licet *Prosper Alpinus* de *Ægyptiacis* *fæminis* referat, quod hoc potu *Mensium fluxum* *promovere* soleant, tamen ab *hisce* *fæminis* ad *Germanas* non valet consequentia; siquidem *largior* & *saturatior* talis Potus multis *fæminis* potius *Mensium processum* *turbat*, impedit & *minuit*: & quid
fane

sane familiaris est, quam ut ejusmodi fæminæ *indies*, aut
 simul *copiose* hoc Potu, præc. *saturato* utentes, sangui-
 nem *valde exæstuent*, *sudorem impetuose* urgeant, (quem
 proinde den *Coffee-Schweiß* nominant & satis venerabun-
 de de eodem judicant) *alvinam* excretionem pervertant,
 ac ita ex primis viis multas impuras *bilioso-acidas* sub-
 stantias in *massam sanguineam* rapiant, in hac laudabilem
 & tenuem *lympham* inquinent, hanc *intemperiem* princi-
 piis hujus Potus, largius ingesti, accelerent & augmen-
 tent, adeoque facili negotio intra brevem temporis ambi-
 tum affectum illum, hodiernum satis notum, videlicet *Pur-*
puram acquirant, qui ut plurimum talibus fæminis, Potum
Coffee frequentius haurientibus, familiaris est: hinc hujus
Purpurati affectus *genesis* multum debet *huic* Potui: ete-
 nim ipsum hoc miasma *Purpuræ* volatile, *vaporosum* Sul-
 phureo-Salinum est, id quod *odor sudoris*, largius in
Purpuratis effluentis, testatur: quoniam itaque *eadem*
 principia magna copia fæcis *Coffee* inexistunt, ita per illa
lympa fæminarum facile *inquinatur*, imprimis si hic po-
 tus *magna* copia *Massæ sanguineæ* intermixtus, in hac *po-*
tentes orgasmos causatur, sub quibus hæc principia *inti-*
mius lymphæ insinuantur & hanc *specifica* illa *purpurata*
intemperie depravant: quod si itaque ob insufficientem
alvi & *Mensium* successum *pravæ* & mixtioni *adversæ* sub-
 stantiæ in corpore augeantur, tunc inquinamentum illud
purpuratum exinde multum & magnum suscipit *suppl-*
mentum, ut *totus* affectus *purpuratus* *deterioris* qualitatis
 evadat: ex hac ratione & demonstratione facile liquet,
 quomodo *artificiali* modo & imitatione *Purpura* *provo-*
cari queat, si modo fæminæ præc. *indulgentius* & *delica-*
tius

*z*ius viventes, hunc Potum *frequent*er assumunt & vel in
lectis, vel locis *calectis*, vel alibi *sæpius* sudant, huicque
 sudori indulgent (wann sie ihren Coffee-Schweiß mit guter
 Zärtlichkeit und Gemächlichkeit abwarten, daß sie kein unsanft
 Windgen angehe, man auch im Zimmer mit geschwinden
 hin- und hergehen keinen Wind mache, sondern alles *μὴτα*
πρόσῃς *Παυταίας*, mit vielen Dvånckeln, Verzärtelen und Ge-
 mächlichkeit zugehe) inde eveniet, ut *fæminæ* antea a purpu-
ra libera, nunc *largo* apparatu cum eadem *inficiantur* &
 si hoc affectu *laborant*, cum hoc Potu *non* levantur, sed
magis alterentur, unde *miasma* purpuratum plus *nutritur*
 & augetur, *sudores* vero & *lipothymia* invitantur, totum
 malum subinde *confirmatur* & exacerbatur: ab hoc Potu
 itaque *fæminæ* maxime *Purpurato* inquinamento obnoxia
 redduntur, quæ copiosiori *lympha* & hac quidem in *sua*
mixture valde *tenera* & *laxa* pollent, cui deinde ab ejus-
 modi sulphureo-falini principiis *talis* labe & *intemper-*
ies accersitur: idem etiam contingit, in subjectis *masculini*
 Sexus, quæ quoad *banc* constitutionem corporis *mollio-*
rem & *largiori* ac *pinguiori* *lympha* imprægnatam, quasi
effæminata sunt, quæ æque ab hoc Potu sub *prædictis* cir-
 cumstantiis *Purpuratum* hunc morbum sibi contrahunt:
 & quæso! in quibus locis, ubi nunc *Purpura* floret, *ante-*
hac hic affectus subjecta invasit, ubi *nondum* usus *hujus*
 Potus increbuit? ubi quæso hæc *Purpura* *plus* affligit,
 quam in talibus locis, ubi *hic potus* multum usurpatur?
 ubi quæso hæc *Purpura* *minus frequent*er homines cor-
 ripit, ac ubi *minus* hic Potus in usum trahitur? quibus
 circumstantiis collectis & rite ponderatis facile veritas e-
 lucefcet, quod Potus *Coffee* multum hæctenus contulerit

ad *Purpuram generandam*, augendam, confirmandam & exacerbendam: quare *male* etiam illi agunt, qui *Purpurationis* vel *extra* affectum, vel *sub eodem* hujus Potus usum *prompte & facile* concedunt: nos potius multis *rationibus & observationibus* convicti, adstruimus & defendimus, quod ad *Præservandam Purpuram* aut *abstinentia* a Potu Coffee, aut *parcior* ejus usus requiratur: quod vero non omnes *strenui* hujus Decocti Potatores hac Purpura laborant, *firmiori* corporis constitutioni, utpote lymphæ non tam *copiosæ, laxæ & pingui*, fibris etiam non tam *mollioribus & laxioribus*, sed paulo firmioribus, hæc *inquinamenta*, a fabis Coffee provenientia, *efficacius, maturius & sufficientius* abstergentibus & ad secretionem ac excretionem *prompte & tempestive* promoventibus, aliisque salutaribus corporis *depositionibus* ac *evacuationibus* tribuendum est.

§. VII.

Secundum *Temperamenti* disquisitionem præ reliquis sic dicti *Pblegmatici* Temperamenti homines & qui de hoc participant, *melius* hunc Potum perferre possunt: vicissim vero *Melancholici* temperamenti hominibus idem potus *ægre* conducit, quorum plurimi *peffime* illum perferunt, sive *dilutior*, sive *saturior* fuerit; enim vero ab hoc potu experiuntur *angores* gravativos in *ventriculo*, *inflationem* molestantem *intestinarum*, *alvi & urinæ* obstructionem, valde angustantem *ebullitionem* sanguinis in *vasis* suis, *anxietatem præcordiorum*, *temulentum* gravativum Sensum in *capite*, *cordis* palpitationem, *tremorem & languorem* in membris, *schwebre zitternde Glieder*, *vertiginosam* perturbationem, *flatulentiam* molestantem, *obscuritatem* ocalorum &

& visus, appetitus corruptionem, difficilem concoctionem, anxias phlogoses, difficilem respirationem, turbulentum somnum, phantasias terribiles nocturnas & plura alia molesta & suspecta pathemata; hinc confitentur, der Thee bekömmen ihnen besser, als der Coffee: Præterea temperamenti Cholericæ & Sanguineæ homines singulari moderatione hoc decocto uti debent, imprimis si de tali temperamento multum participant; quod si enim hoc potu frequentius & largius utantur, facile inde suspectas massæ sanguineæ ebullitiones experiuntur, quæ diversis sinistris consecutionibus ansam præbent; quam ob rem talibus subjectis non nisi dilutior & quoad reliquas, quantitatem ac qualitatem concernentes, conditiones temperatior ordinandus erit potus, ni contraria usurpandi ratione noxam aliquam afferat: unde horum temperamentorum subjectis potus hic & salubris & noxius esse potest: est etiam a talibus subjectis modus servandus, tanto magis si Diætæ lautæ, spirituosæ & vinosæ dedita fuerint, cum qua temperatior & dilutior talis potus plus, quam saturatior congruit; siquidem subtilior, floridior, volatilior & in organicas commotiones pronior Sanguis a largioribus illis principiis oleosis, sulphureis, vaporosis, volatilibus, huic Potui inexistentibus, velut inflammatur & in vehementiores commotiones & expansiones conjicitur; quamvis moderatior hujus Decocti dilutioris ingestio magis salubris talibus subjectis existat: Quicumque etiam homines quoad Diætam cibis crassis, duris & chylum spissum præbentibus, insuper etiam potu cerevisiario crasso, valde saturato & lupulato utuntur, aut etiam multa acida, frigida, aliaque incrassantia ingerunt, aut plane subinde sedentariæ vitæ

dediti sunt, illis hic potus *frequentiori* assumptione, aut perquam *saturatus* magis *nocivus* est, quia humores jam in *spissorem* consistentiam proni, ex hoc potu multas *terrestres* & *incrassantes* partes in se recipiunt, indeque in *morbosam spissitudinem* conjiciuntur, inque illa confirmantur, unde varii affectus & effectus, a *spissitudine* sanguinis pendentes, oriuntur, velut *stagnationes* in *diversis* corporis regionibus ac locis, *distensiones* vasorum, aliarumque partium, *angustationes*, *spasmi*, *concrementa polyposa*, *viscerum infarctus*, *se-* & *excretionum* imminutiones ac *perturbationes*, variaque alia *morbosarum* afflictionum *specimina*: Quicumque homines *victu* & *potu* ordinario utuntur *valde nutriente* & simul *pleno*, insuper etiam multum *otii* & *desidiæ* indulgent, illis *frequens* hujus Decocti, imprimis *saturati*, usus æque *incommodus*, aut plane *nocivus* evadit, quoniam *ventriculum* cibus usitatus *oppletum* & *cruditatibus* oneratum magis *aggravat*, *spissas* ac *terrestres* humorum partes magis auget, insuperque facile *morbosam* humorum *crassitiem* conciliat & accelerat, præc. vero *alvi* & *urinæ* excretionem impedit & ad *coacervationem* *cruditatum* & *impuritatum* multum contribuit: Quicumque homines *eminenter* sunt *Plethorici*, illi a *liberali* & *saturato* potu hujus Decocti abstineant, ne ab eodem aut suspectas *expansiones* & nimias commotiones, aut pravas *inspissationes* experiantur, unde mox in *graviores* & *acerbiores* *morbosas* calamitates conjiciuntur; Quicumque jam actu *magna* humorum *spissitudine* laborant, illi aut *penitus* ab hoc potu abstineant, aut *modicam* illius quantitatem hauriant, servata insuper *cautela*, ne admodum *saturatus* sit: ast quoniam pro *diluendo* & *attenuando* sanguine se-
curio-

curiora & præstantiora constant auxilia, ita in hac necessitate eodem potu commode carere possumus.

§. VIII.

Præter has circumstantias & animadversiones adhuc plures occurrunt, quæ hujus Decocti usum aut *dis-suadent*, aut *circumspecte* admittendum, commendant: adeoque porro notandum est, quod in subjectis *strictioris* & *siccioris* habitus, quorum sanguis etiam *viscidus* est, hic potus magis *obsit*, quam *profit*; huc quadrant verba Zornii in sua *Botanologia Medica* p. 135. sub tit. de Bon Arbore: *Macilentis temperamenti cholericæ & melancholicæ personis, hic potus haud bene convenit, quæ simul acrem & velut adustum sanguinem habent, quia aliquatenus exsiccat & adstringit*: quo loco author hic provocat ad Consensum *Willisii* & *Bohnii* in locis citat, ut & *Muralti* in *Hippocr. Helv.* p. 211. testimonium *Willisii* ultimis verbis *Pharmac. ration. Part. I.* p. 204. hujus sunt tenoris: *qui graciles & temperamenti biliosi & melancholici sunt, sanguinem aut retorridum, cerebrum calidius atque spiritus animales nimis incitatos atque irrequietos habent, a potu isto prorsus abstinere debent, utpote qui tum spiritus, tum humores magis pervertit, & functionibus quibusvis obeundis inhabiles prorsus simulque impares reddit: observavi enim multos spirituum copia haud satis uberi præditos, ac insuper Cephalalgia, vertigini, palpitationi cordis, artuum tremori aut stupori obnoxios, a potu Coffee illico deterius habuisse quoad istos affectus & statim in toto corpore languorem insolitum persensisse*: quæ ultima verba etiam supra a nobis allegata prostant, quæ vero ad totum præsentem contextum spectant: Quicumque porro magna debilita-

te ventriculi laborant, illis hujus Potus spissioris crebra & larga ingestio magis præjudiciosa, quam fructuosa est, quoniam ipse copiosis terrestribus suis ac mucilaginosi partibus ventriculum onerat, cruditates auget & præsentem debilitatem conservat; ob id juxta prædictum Bobnii e- lenchum in usum venit, ut post hujus potus ingestionem pro ventriculo roborando, spirituosam carminativa superbi- bantur: Quicumque frequenti adstrictione & siccitate al- vi laborant, illis hic potus inutilis est, quia alvum fluidam quadantenus exsiccat, cæterum etiam facile alvi occlusionem causatur; quam ob rem illius utilitates sub congruo usu in diarrhæa, dysenteria & biliosis ac acerbis, aliis alvi fluxibus observantur; dum vero hic potus ad retinendam excretio- nem alvinam inservit, facile subinde alias molestias & mor- bosas afflictiones invitat, quæ abdomen, pectus & caput affici- unt & diversis speciminibus sese produnt: Quicumque in Melancholiam hypochondriacam admodum inclinant, illi ab hoc potu sollicitè desistere debent, quia affectum hunc nu- trit & exacerbat; unde pathemata angustatoria & vertigi- nosa, turbulentus somnus, insomnia terribilia magis incre- bescunt & reliqua connexa morbosa pathemata plus au- gescent: Quicumque salubres & promptas excretiones sanguinis periodicas habent, præcipue hæmorrhoidales, illi a frequenti usu saturatoris hujus potus abstinent, ne ab hoc successus talium Hæmorrhagiarum impediatur & mi- nuatur, neve propterea variæ turbæ, aut anomalie invi- tentur: quam ob rem illi haud rite, recte & perite pro- cedunt, qui Puerperis magnis haustibus, aut ordinariè hunc potum, propinant, præcipue si spissior fuerit; unde ob varias rationes in Lochiorum eadem turbas incidunt, imprimis

fi

si fœminæ fuerint *pletboricæ & spiffiori* sanguine præditæ, quæ ab hoc potu alvum *ficciozem & strictiozem* obtinent, quæ strictura, una *uterino* loca *simili* effectu in *consensum* trahit; hinc Lochia imminuuntur & quia idem potus sanguinem *valde commovet*, ea propter facile suspectæ *stagnationes* in locis & vicinitatibus *uterinis* generantur, quæ cum acerbissimis *spasimis* complicantur, inde *colicæ bystericæ* oriuntur: quid quod facile porro *febrilis* motus accenditur, aut plane *ominosa & funesta Purpura* generatur, ob id omnibus *Puerperis*, nisi de *Pblegmatico* temperamento participant, magna cum circumspectione hic potus concedi, *multis* vero magis subtrahi, omnium minime *Puerperis* *indiscreto* iudicio & *elogio* commendari debet; quando enim hoc decoctum sanguinem *intensius* commovet, partium vero *stricturæ* inferendæ in tam *sensibilibus* subjectis infervit, tunc ab hisce effectibus, *simul* contingentibus, nihil boni sperari & promitti potest: inde etiam est, cur fœminæ huic potui addictæ, quando *Puerperæ* evadunt, ut plurimum *Purpura* corripiantur.

§ IX.

Quando porro quædam Subjecta in affectus *hypochondriacos, spleneticos*, in obstructions *Hepatis, Splenis & glandularum* subtiliorum inclinant, tunc potu hoc *parcius* uti debent, ni ipse, *contrario* modo ingestus, *affectas* partes magis obruat, *obstruat* & enervet: quam ob rem sub usu *temperato dilutioris* hujus decocti in *prædictis* affectibus *moderate mobile* vitæ genus combinari debet, quo hic Potus *efficacius penetret & diluentem atque solventem*, nec non *excretionem* promoventem virtutem magis exferat: quod si enim particulas suas *terrestres mucilaginosas*

in primis regionibus, *oleoso-salinas* volatiles vero in *humoribus* relinquat, tunc diversos *contrarios & nocivos* effectus perficiet, videlicet majores & *acerbiores* humorum *stagnationes, incrassationes*, partium vicissim *distensiones*, *oppletiones & enervationes*, quales effectus in prædictis affectibus magis *noxii* sunt: Subinde etiam hominibus in *phthisin* aut *Hecticam* inclinantibus, tanto magis diris talibus morbis *oppressis*, haud conducit, nam *debilitata* talia corpora vel *nimiam* ejus *humiditatem*, vel copiosam *terrestreitatem* diu tolerare, aut sufficienter subjugare & evacuare haud possunt, unde ab iisdem substantiis *magis enervantur*, reliqua vero *oleosa, sulphurea & salina* volatilia hujus decocti principia sanguinem facile *nimumque* commovent, *anxium æstum & sudorem*, in quem alias tales patientes *valde proclives* sunt, excitant, adeoque iterum hosce affectus magis *exacerbant*, quam *sublevant*: interim tamen in affectibus *Cachecticis & Hydropicis* hic potus, *modice* usurpatus, *melioris* utilitatis est: sed quia hoc themate non *virtutes* hujus Potus, *toties* decantatas, repetere & recoquere, sed *sinistros* ejusdem effectus recensere placet, ita *alioisum digredi* haud possumus: Quicumque Catarrhis fixis, *tenacibus, viscidis & ægrius* fluentibus vexantur, *valde saturato & simul copioso* hoc potu ne utantur, quoniam ipse tales Catarrhos *immobiliores* reddit, quamvis in *temperate fluida* consistentia constitutus ille potus & *modice* ac cum leni *regimine* assumptus in *quibusvis* Catarrhis non exiguam *opem* afferat: Communiter etiam hoc decoctum adversus *nimiam obesitatem* laudatur, hinc *Willisus & Zornius* testantur, quod *macilentiam* conciliet; ast in hoc elogio iterum cautela obser-

vanda est, ne cum *lacte* bibatur, neve *nimis saturatum* forbeatur, alias illius vis *resolvens infringitur* & alii sinistra effectus conjunguntur: In *Febribus* ex commendatione *Bontekoe* præc. cap. XI. p. 91. tr. de usu & viribus *decocti Coffee* ad *intermittentes* laudatur; ast iterum quoad ejus ordinationem *prudentiâ* opus est: nam in subjectis *calidis* valde *calesctus* & *saturatus* hic potus *calorem* febrilem admodum *auget*, *angentem oppletionem*, aut plane *nimiam* sudationem causatur, unde *cujuslibet* Febris schemati non exigua *offensio* procuratur: interim sub *perita* artificis manu in *congruis* subjectis & *tempore* convenienti *utiles* etiam effectus conciliat; sub *æstu* verò illum potum ingurgitare, consultum minus est: Quid Potus hic efficiat in *allevanda*, aut *enervanda* virtute *generatrice* paucissimis indicabimus; quando videlicet hoc decoctum sub certis circumstantiis & in certis *individuis* effectum habet *exsiccantem*, *adstringentem*, *lympham* laudabilem *incrasantem* & *depravantem*, negotium *Menstruum turbantem*, multiplices *stagnationes* humorum in abdomine provocantem, reliquas *ordinarias* excretiones *pervertentem* & *minuentem*, tunc huic negotio *Generationis*, *Conceptionis* & *gestationis* utique infensum & nocivum est, quem admodum in observatione medica exempla haud defunt, quæ satis manifeste hanc adsertionem comprobant, quod videlicet nonnulla subjecta cum *abusiva* hujus potus ingestione vires suas *enervaverint* & ad *generationem inepta* se reddiderint: ubi fabulosa illa adsertio, quod hic potus *Spiritus roboret* & reficiat, haud apposite ad hunc casum applicari potest: Ad arcendam & leniendam porro *Ebrietatem* multis encomiis hoc decoctum laudatur; quan-

do vero inebriatio a *mero* provenit, subjecta etiam *calidi* valde temperamenti sunt, quæ *humores* admodum *subtiles* & in *orgasticam* commotionem pronas possident & subinde hunc Potum in *valde saturata* consistentia præparatum *liberalius* ingerunt, tunc illius effectus in *ebrietate* potius *nocivus* est, quoniam cum præjudicio sanguinem *fortius* commovet ac *impellit*, adeoque ad connexos alios *pravos* effectus, præcipue *congestorios*, ansam præbet: Laudatur porro hic Potus ad *Capitis dolores* & *Vertiginem*; quæ laus tamen haud *promiscue* accipienda, nam teste experientia & referente *Willisio*, loco supra citato, aliquando hic potus hos affectus *augmentat*, præcipue quando aut a *nimia crassitie*, aut *nimia subtilitate* sanguinis, aut etiam a *ventriculi* magna *imbecillitate* proveniunt; haud enim veritati consona est *Bontekoe* sententia, quod hic potus modo *calescentem*, modo *refrigerantem* efficaciam habeat; ex quo *falso* supposito, author hic eundem Potum *sine discrimine* in *calidis* & *frigidis* affectibus commendat; in quo elogio, si *verum* illud esset, *parallelam* virtutem cum spiritus ardentis usu, inter Polonos *æstivo* tempore contra *ardorem* & fervorem tempestatis, *hyemali* vero contra *frigus intensius* recepto, haberet; hinc mulierculæ, præcipue quando sublimius sapiunt, hoc potu *Coffee æstivo* tempore contra *æstum* & *hyberno* contra *frigus* utuntur.

§. X.

Et quæ non aliæ laudes huic Decocto adscribuntur! quare modo *flatulentiam* arcere debet; ast in *variis* subjectis eandem *generat*, impr. quæ alias *siccioris* & *strictioris* alvi sunt: aliquando sanguinem *dilue-*

re & resolvere debet ; at tamen *assidui* hujus decocti potatores sanguinem , qui ex *vena secta* effluit , *obscuriorem & graviolem* conspectui & explorationi præbent ; interdum sanguinis *acrimoniam* corrigere debet , quam tamen pro *varietate* circumstantiarum *aliquando auget* , adeoque *impurum* sanguinem reddit , dum non modo aliquando necessarias *excretiones* turbat & impedit , indeque afficit , ut copiosiores *excrementitiæ* substantiæ massæ sanguineæ intermiscantur , sed & quandoque sub *orgastica* sanguinis commotione ad genesin novarum *impuritatum & intimiorum* harum commixtionem cum humoribus contribuit &c. &c. hinc *scabiosi* æque ac *Purpurati* a liberali usu *spissioris* hujus potus *evidentia* nanciscuntur *nocumenta* : Ad affectus *spasticos , Arthriticos , Podagricos* magnis laudatur & commendatur titulis ; ni vero *legitime* præparatus & dilutus hic potus , *justa* quantitate ac *methodo* adhibeatur , *contrarios* edit effectus , uti exempla nobis constant , quod ab *incongruo* illius usu in talibus affectibus , *angustiæ præcordiales , vomitus , flatulentia* molesta & *colica* ortum traxerint : Quam ob rem *nulla* de hoc decocto prædicari potest virtus , quæ non *contrariantem* habeat *rationem & observationem* : quare *prudens & peritus* illius usus *non* rejicitur , *communis* vero abusus , qui cum eodem committitur , merito *abrogatur* : Frustra itaque illi agunt , qui partim ad *præservandos* , partim ad *curandos & sublevandos* morbos hunc Potum velut sacram arripiunt anchoram & *plus* de eodem sperant & *promittunt* , quam *obtinent* : Et quid de illis judicemus , qui hoc Decoctum , cum *Lacte* mixtum , magnis extollunt

laudibus, quorum antesignanus iterum *Bontekoe* est, qui in *tract. cit. cap. IX. p. 85. seq.* eximia de eodem profert encomia: multis ad *palarum* inservit, dum gulam & appetitum lenit ac demulcet; neque tamen *medicamentosis* viribus caret, quare iterum artificiosam & *peritam* ordinationem requirit: in multis vero vicissim *subjectis* ac *casibus* speratam virtutem haud præstat, sed potius varias *molestias* creat; præcipue si illud *Decoctum saturatum* & multa quantitas *crassioris* lactis intermixta fuerit: quare *duæ* partes *dilutioris* decocti *Coffee* cum *aqua* parati, & *una* pars *liquidioris* & temperatioris *Lactis* majorem *utilitatem* præbebunt, & si talis miscela *modica* ingeritur quantitate, ventriculum *haud onerat*; alias vero si in *ventriculo* multæ *cruditates* hærent, præcipue *viscidæ*, *biliosæ*, *acidæ*, tunc talis potus facile hanc *faburram perverso* motu *fermentativo* excitat, multaque incommoda provocat: quid quod innotuere exempla, ubi *subjecta* crebriori *iracundiæ* dedita, a tali *spissiori* decocto, *largius* cum lacte remixto, *colicas* passiones subierunt; aut si in *phthysicis* & *hecticis* adhibitum fuit, acerbiores *oppressiones* & *mucidas* oppletiones pectoris provocavit: quando *multa* colluvies *biliosa* in ventriculo & intestino duodeno hæret, tunc hoc decoctum *sine* lacte, si *tenuius* fuerit, *plus* proficit, *cum* lacte vero *magis officit*: in reliqua *viscida* pulmonum oppletione hoc decoctum *sæpius* usurpatum, tanto magis si *spissius* fuerit, non proficuum, sed *insensum* est: quæ cautelæ etiam observandæ sunt, si in partibus abdominis *glandulosis* & *vasculosis* intricatæ *stagnationes*, aut *ominosi infarctus* adsunt: neque etiam *promisue* sanis ho-

mi-

minibus *quotidianus* hujus *lactei* Decocti usus concedi potest, ne *cruditates* inde coacerventur, neve reliqua *dieta* turbetur, ac *sanguis* ad suspectam *spissitudinem* promoveatur, manet interim etiam huic mixto Potui sub *justo* usu sua laus; suffecerit pro thematis nostri nervo indicasse, quod sub certis circumstantiis ipse etiam *insalubris* esse queat soleatque: Supra dictum fuit, quod Decoctum Coffee, *communi* præparatione largius haustum, ad *Paralyfin* contribuatur, quod adsertum ex *Willisii* testimonio allegavimus; nec defunt illius moniti satis solidæ & perspicuæ *rationes & observationes*: etenim jam uberrimis exemplis constat, quod hic Potus, præc. admodum *saturatus frequenter* ingestus, *tremorem & torporem* membrorum afferat, quos effectus causatur oleosum vaporosum *anodynum* sulphur, crematis talibus fabis inexistens; id quod non modo *congruo* usu in & externe usurpatum *dolores sedat*, sed & *fibris motricibus* sub aliis circumstantiis *laxitatem* & aliqualem *atoniam* conciliat, unde ille *tremor*, languor & torpor oriuntur: ob hanc rationem hic potus nonnullis subjectis ad *placidiorum* somnum ansam præbet; quando proinde ex *incongruo* illius decocti usu *humores* in *crasi & consistentia* alterantur, ac salutares *excretiones* turbantur & imminuuntur, haud difficulter ex singulis inimicis operationibus in certis subjectis, casibus & circumstantiis *paralytici* consequentes morbi generari & demonstrari possunt: ex *simili* animadversione fluit annotatio, quod in certis subjectis, quæ præcipue multum de *melancholico* temperamento participant, velut *Melancholico - Sanguineis, Melancholico - Cholericis*, hic potus in

saturata consistentia largiter assumptus ad *Apoplecticos* & *Hemiplecticos* affectus disponat, præcipue si hæc subjecta subinde *Diæta crassa & plena*, pauco vero potu utuntur, ac una *sedentariæ* vitæ & variis *animi pathematibus* dedita fuerint, inde potus ille *humores* magis *incrassat*, *excretiones* salutares *impedit* & turbat, *cerebrum enervat*, *motus torpescit*, adeoque prædicta *defectiva* motuum vitia causatur: Præter hæc omnia *experientia* testatur, quod *nimius* hujus Potus usus etiam *externum colorem* hominum immutet, dum in *Fæminis*, ut in præcedentibus monitum fuit, *cachecticum* statum & colorem *pallidum*, *lividum*, *chloroticum*, in *Maribus* vero *fuscum*, *puniceum*, *luridum* causatur: quid quod observatio testatur, quod *largus & frequens* hujus Potus usus, dentibus *nocivus* existat, (id quod etiam *Zornius* testatur loc. cit.) quos *denigrat* & ad *faciliorem corruptionem & fracturam* qualificat ac disponit, tanto citius & certius, si *multum Sacchari* simul assumitur & *tabaci fumus* conjungitur: ex quibus omnibus nunc *aliquatenus* inclarescit, *quando & qualia* nocumenta Potus *Coffee* afferat: Subsistimus in hac succincta tractatione, DEOque Benignissimo devotissimas agimus gratias, pro præstito suo adjutorio; quem subinde rogamus, quo reliquos nostros labores & conatus exoptato beet successu & salutari coronet

F I N E.

S Lehrter Hergens-Freund ! was ist doch Dein Be-
ginnen?

Beliebter Jonathan ! wo geht die Neigung hin?
Rühmt oder tadelt man, daß Du Apollens Sinnen
Recht unvermuthet suchst in Deinem Geist und Sinn?
Ja, daß Du nunmehr wilt vor andern Ruhm erwerben,
Und dem gelehrten Reich Dich einverleibet seh'n:
Mit andern neben Dir den Ehren Huth ererben:
Nach gröster Würde flieh'n, und gänglich von uns geh'n?
Man hat ja sonst an Dir dergleichen nicht verspühret,
Da Du geschickt genug hierzu gewesen bist.
Allein ich mercke schon, woher Dein Vorsatz rühret:
Ereibt Dich nicht dazu an die sonderbahre List,
Nachdem Du bey Dir selbst mit allem Recht befunden,
Man müsse seinem Fleiß, den doch ein jeder kennt,
Nicht ohne Früchte seh'n, und dazu seyn verbunden,
Auf daß man sich mit Ruhm Apollens Diener nenn't.
Halt' ! ich errathe was, ich hab' es recht getroffen,
Nachdem Du öffentlich jetzt promoviren wilt;
Auch wider allem Schein, ja wider alles Hoffen
Nunmehr viel Neider = Gifft mit einmahl ganz gestillt,
Leb' also jederzeit bey stetigem Vergnügen!
Ich wünsche, daß viel Glück und Seegen bey Dir sey:
Leb' wohl! so wirst Du auch in mehren Dingen siegen,
Nur bleibe mir, wie ich, bis in den Tod getreu.

Diese wenige Zeilen hat ein aufrichtiger
Freund zum steten Andencken ver-
pflichtester massen hieher setzen wol-
len.

Der sich nennet

J. C. Latop,
LL. Cult.

Wo

So Tugend und Verstand sich mit dem Fleiße paaren,
Wo zur Erfahrung sich Geschicklichkeit gesellt,
Und wo die Redlichkeit sich nur verbunden hält,
Im Dienst des Nächsten nie die größte Mühe zu sparen,
Da spielt der Weisheit Gold im lichten Glanz hervor
Und öffnet dem Glück und Seegen Thür und Thor.

Hoch-Edler! wer Dich kennt, der wird mit mir bekennen,
Daß dieser Haupt-Zweck sich in gar besondern Grad;
In Deinen Studiis } bereits gezeiget hat;
In allen Deinem Thun }
Man müsse Gott zum Preis, dem Nächsten dienen können.

Man kan von weitem schon mit gutem Grunde sehn,
Was künfftig vielen wird zu Nutz und Trost geschehn.

Die Tugend will deßhalb den edlen Fleiß belohnen
Und ziert das kluge Haupt heut mit dem Doctor-Hut;
Doch diß ist nicht allein, worinnen sie beruht;
Sie schenckt drey Königreich } und lohnet }
Ihr dreyfach Königreich } belohnet } gar mit Cronen,
Ich wünsche Glück dazu; Gott segne Deinen Stand,
Und führe Dich vergnügt zurück ins Vaterland.

Hiermit solte dem Herrn Doct. über
die wohlverdiente Promotion
seine Freude bezeugen, und allen
Göttlichen Seegen schuldigst und
hertzlich anwünschen Einer von

Desselben

verpflichtesten Dienern

J. C. U.

